

AUSONE

PRAEFATIUNCULAE (66 vers)

AUSONIUS LECTORI SALUTEM

PR_1 v.1 Ausonius genitor nobis, ego nomine eodem :
 2 qui sim, qua secta, stirpe, lare et patria,
 3 adscripsi, ut nosses, bone vir, quicumque fuisses,
 4 et notum memori me coleres animo.
 5 Vasates patria est patri, gens Haedua matri
 6 de patre, Tarbellis set genetrix ab Aquis,
 7 ipse ego Burdigalae genitus : divisa per urbes
 8 quattuor antiquas stirpis origo meae.
 9 Hinc late fusa est cognatio ; nomina multis
 10 ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant ;
 11 derivata aliis, nobis ab stemmate primo
 12 et non cognati, sed genetiva, placent.
 13 Set redeo ad seriem. Genitor studuit medicinae,
 14 disciplinarum quae dedit una deum
 15 nos ad grammaticen studium convertimus et mox
 16 rhetorices etiam quod satis attigimus.
 17 Nec fora non celebrata mihi, set cura docendi
 18 cultior, et nomen grammatici merui
 19 non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
 20 Aemilium aut Scaurum Berytiumve Probum,
 21 sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
 22 conlatus, set non subditus, aspicerem.
 23 Exactisque dehinc per trina decennia fastis
 24 deserui doctor municipalem operam,
 25 aurea et Augusti palatia jussus adire
 26 Augustam subolem grammaticus docui,
 27 mox etiam rhetor. Nec enim fiducia nobis
 28 vana aut non solidi gloria iudicii.
 29 Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
 30 dum nulli fuerit discipulus melior.
 31 Alcides Atlantis et Aeacides Chironis,
 32 paene Jove iste satus, filius ille Jovis,
 33 Thessaliam Thebasque suos habuere penates :
 34 at meus hic toto regnat in orbe suo.
 35 Cujus ego comes et quaestor et, culmen honorum,
 36 praefectus Gallis et Libyae et Latio
 37 et, prior indeptus fasces Latiamque curulem,
 38 consul, collega posteriore, fui.
 39 Hic ergo Ausonius : sed tu ne temne, quod ultro
 40 patronum nostris te paro carminibus.

AUSONIUS SYAGRIO

PR_2 v.1 Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri,
 2 communemque habitas alter ego Ausonium :

3 sic etiam nostro praefatus habebere libro,
4 differat ut nihilo, sit tuus anne meus.

DOMINO MEO ET OMNIUM THEODOSIO AUGUSTO AUSONIUS TUUS

PR_3 v.1 Agricolam si flava Ceres dare semina terrae,
2 Gradivus jubeat si capere arma ducem,
3 solvere de portu classem Neptunus inermem ;
4 fidere tam fas est quam dubitare nefas.
5 Insanum quamvis hiemet mare crudaque tellus
6 seminibus, bello nec satis apta manus,
7 nil dubites auctore bono. Mortalia quaerunt
8 consilium : certus jussa capesse dei.
9 Scribere me Augustus jubet et mea carmina poscit,
10 paene rogans : blando vis latet imperio.
11 Non habeo ingenium, Caesar sed jussit : habebo.
12 Cur me posse negem, posse quod ille putat ?
13 Invalidas vires ipse excitat et juvat idem,
14 qui jubet : obsequium sufficit esse meum.
15 Non tutum renuisse deo : laudata pudoris
16 saepe mora est, quotiens contra parem dubites.
17 Quin etiam non jussa parant erumpere dudum
18 carmina. Quis nolit Caesaris esse liber,
19 ne ferat indignum vatem centumque lituras,
20 mutandas semper deteriore nota ?
21 Tu modo te jussisse, pater Romane, memento
22 inque meis culpis da tibi tu veniam.